

## AMALTHEO (Cornelio Paolo)

## CARMINA (1404 vers)

## C. PAULUS AMALTHEUS IN LAUDEM AEMILIANI CINBRIACI AD PETRUM HAEDUM

C\_1 v.1 Quantus Iasonia Tiphys fuit, Haede, carina,  
 2 Automedon curru gloria quanta fuit,  
 3 quantus et Alcides nodosae robore clavae,  
 4 aut cestus Pollux munere, castor equis,  
 5 Phillyrides herbis, medica Podalirius arte,  
 6 aut testudinea quantus Apollo lyra ;  
 7 tantus Pierias venit Aemilianus ad artes  
 8 dum canit Heroo Caesaris acta pede.

C. PAULUS AMALTHEI AD CIMBRIACUM POETAM ET COMITEM PALATINUM.  
TETRASTICHON

C\_2 v.1 Jamdudum incertum est, nec sat me iudice constat,  
 2 Cimbriace, Aoniae fama decusque lyrae,  
 3 num tua jam superent priscorum carmina vatam  
 4 an sint materia nobiliora sua.

AD MAGNIFICENTISSIMUM SAPIENTISSIMUMQUE VIRUM DOMINUM BERNARDUM  
SCRIBAM SENATOREMQUE DIVI CAESARIS

C\_3 v.1 Si dedit Alcinoos non dives poma colonus,  
 2 accepit timidus si Polyphemos oves,  
 3 divitias Croesus sumpsit, Mida nobilis aurum  
 4 et Ditis Stygiis munera cepit aquis,  
 5 si patrem Oceanum rivi petiere minores  
 6 et capiunt parvi flumina fontis aquas :  
 7 tu quoque Pierii dives, Bernarde, furoris  
 8 accipe versiculos hac ratione meos.

AD MAGNIFICENTISSIMUM VIRUM EXCELLENTISSIMUMQUE IURIS PERITUM IOHANNEM FUXMAGUM  
PAULI AMALTHAEI POETAE LAUREATI CARMEN INCIPIT

C\_4 v.1 Exigis ut nostro donem te, Fuxmage, versu  
 2 sedulus et nugas quaeris habere meas.  
 3 Nec satis esse putas leges versare Solonis,  
 4 nec sat Caesareo consulere usque foro ;  
 5 quod licet accedas auremque et Principis ora,  
 6 detur et imperio te propiore frui,  
 7 et quascumque pio volvit sub pectore curas  
 8 Caesar in arbitrio nunc velit esse tuo :

9 non tamen Aonias spernis, vir magne, Camenas,  
 10 non Phoebi plectrum, non Heliconis aquas.  
 11 Ergo mitto tibi nostrum donoque libellum,  
 12 quem mea non longo Musa calore tulit.  
 13 Quodsi Maecenas nostro sis, Fuxmage, plectro,  
 14 cantabo semper teque tuamque domum :  
 15 ut sis Austriacis non longe natus ab oris,  
 16 qua celeres Athesis colligit acer aquas ;  
 17 et quid de stomacho dicaris, Fuxmage, vulpis,  
 18 non ingrata meis dictio carminibus.  
 19 O equidem felix : si quid mea carmina vivent,  
 20 ibis perpetuo docta per ora virum.

DE FAUSTISSIMO ADVENTU DIVI CAESARIS FEDERICI III

C\_5 v.1 Caesar ad Oenotrias confert se maximus oras :  
 2 urantur nostris thura Sabaea focus ;  
 3 et si quando mihi facilis fuit aurea Clio,  
 4 aut favit coeptis pulcher Apollo meis :  
 5 nunc Helicon a sacrae dulcesque relinquitte Musae,  
 6 Permessi latices Aoniumque nemus.  
 7 Imprimis tu, Phoebe, veni, cui tempora laurus  
 8 ornet et ingenum spica Cilissa caput :  
 9 qualis Aloidum post tela trisulca Gigantum  
 10 movisti citharae verba secunda tuae.  
 11 Per te dicta Jovis toto victoria caelo  
 12 et plus quam solito tu mihi laetus eras.  
 13 Talis et huc properes : et mecum Caesare dignum  
 14 Caesaris adventum, Phoebe superbe, cane.  
 15 Et quae cura Virum nostras commovit ad oras  
 16 et quidnam Venetas visere jussit opes ?  
 17 Caesar ut eripuit misera formidine Natum,  
 18 quem male detinuit Belgica perfidia,  
 19 et sensere omnes quantus sit Caesar in armis,  
 20 etsi non simulet vincere posse Jovem,  
 21 et postquam sceptrum longa ditione tenendum  
 22 restituit manibus, Maximiane, tuis  
 23 et dignas tanto persolvit crimine poenas  
 24 Belgicus et quisquis non tua jura timet :  
 25 mens fuit in Veneta curas deponere terra,  
 26 hic ubi Gradivus proelia nulla movet.  
 27 Hic non bella cient : hic non discordibus armis  
 28 contendit largas hostis avarus opes.  
 29 Jam galeae in rastros, in falcem vertitur ensis,  
 30 lorica effecto vomere sulcat humum.  
 31 Omnia perpetua dudum jam pace quiescunt :  
 32 Jupiter has terras incoluisse velit.  
 33 Praetereo innumeras urbes, tot castra, tot agros,  
 34 tot loca nequitia facta beata sua.  
 35 Non, si mille meo resonent sub pectore voces  
 36 et faveas toto numine, Phoebe, mihi,  
 37 dicere delicias possem placidosque recessus,  
 38 quos Veneta tellus in regione creat.  
 39 Haec igitur divus statuit loca visere Caesar,  
 40 numina qui pacis atque quietis amat.

41 Forte haec causa levis nec Caesare digna videtur :  
 42 sic tamen et curas Jupiter ipse levat.  
 43 Fulmine nam postquam dejecit Pelion Ossa.  
 44 Et solvit poenas sanguine partus Opis,  
 45 saepe deus petiit falsa sub imagine terras  
 46 et se quaesivit furta minora deo.  
 47 Saepe etiam calamo fortes fixisse leones  
 48 crediderim atque humeris saepe tulisse plagas.  
 49 Numine deposito solis habitabat in antris,  
 50 o ubi majestas, Jupiter, illa tua ?  
 51 Omnia victorem si Marte sedente decebant,  
 52 quis neget hoc nostrum posse decere Jovem ?  
 53 Quodsi forte meae ratio est infirma Camenae  
 54 fortia nec tangit pectora cura levis.  
 55 Est mihi scire nefas magni secreta Tonantis :  
 56 nec quaero ulterius, est mihi scire nefas ;  
 57 seu venit ut Venetos visat sanctumque senatum  
 58 et fractam nulla mobilitate fidem.  
 59 Sive quod instituit Caesar loca sancta videre  
 60 juxta Sontiacas et Natisonis aquas  
 61 non procul horrisoni septeno a fonte Timavi,  
 62 hic ubi Amyclaeis perstrepit amnis aquis,  
 63 hic ubi post nati fraternaue funera matrem  
 64 Phasiacos perhibent edocuisse dolos.  
 65 Hic Aquileia jacet veteri prostrata ruina,  
 66 inter Iuleos urbs veneranda lares.  
 67 Attila Pannoniae laus, nostrae infamia terrae,  
 68 dum peteret Latium Marte favente solum,  
 69 dicitur hanc urbem bello expugnasse trienni  
 70 augurio monitus aufugientis avis.  
 71 Non tamen hanc penitus disjecit barbarus hostis :  
 72 exstat adhuc veteris nobilitatis honos.  
 73 Elatae turres et ducta Palatia caelo  
 74 et templum tota nobile Iapydia.  
 75 Illic Hermagorae tegitur venerabile corpus  
 76 et Fortunati molliter ossa cubant  
 77 multaue praeterea sanctorum membra virorum,  
 78 vota quibus populus nocte dieque facit.  
 79 Forsitan huc properas quidni ? Justissime Caesar,  
 80 qui colis aeterna religione deos.  
 81 Sit quodcumque placet venturi Caesaris omen,  
 82 hoc precor ut faustis prodeat alitibus.  
 83 Felix illa dies et luce beatior omni,  
 84 qua primo nostrum viderit ille solum.  
 85 O quot erunt flavae donati Palladis auro,  
 86 o quot virtutis praemia digna ferent !  
 87 Mille quidem vates cernes jurisque peritos  
 88 auratosque equites philosophosque graves.  
 89 Felices urbes, felicior omnibus illa,  
 90 qua primo faustum triverit ille pedem.  
 91 Felix ripa quidem Venetae confinia gentis,  
 92 qua Benacus aquas ad maris instar agit  
 93 et tu lascivo gaudens Verona Catullo,  
 94 qua rapidas Athesis in mare pellit aquas,  
 95 tu quoque non pavido quondam Vincentia Cimbro  
 96 fundata audaces ad Bachilonis aquas :

97 vos eritis faustae venturo Caesare terrae,  
 98 per vos caesareum nempe teretur iter.  
 99 Tum qua Meduacus coeptas sibi colligit undas,  
 100 in Tarvisinum deveniemus agrum.  
 101 Longa via est dudum : faustum jam dirige gressum  
 102 ad Naucellinas, maxime Caesar, aquas.  
 103 Hic tibi candiduli gens est devota Naonis,  
 104 hic poteris plures vivere Luciferos.  
 105 Eia agite o cives longas ex ordine pompas  
 106 ducite : nam vestra haec gloria, vester honos.  
 107 Prodeat indutus festiva veste sacerdos  
 108 et canat in media carmina sacra via.  
 109 Huc properent casti pueri innuptaeque puellae  
 110 et laeti juvenes pallidulique senes.  
 111 In manibusque ferant victricia signa Minervae  
 112 et quicquid pacem justitiamque decet.  
 113 Dicite tum mecum faustum pro Caesare carmen  
 114 fundat et immodicas femina virque preces.  
 115 Maxime rex salve, salve faustissime princeps,  
 116 Teutonicum regimen et Latiale caput,  
 117 cui deus antiqui promisit Nestoris annos,  
 118 ut regnet tecum Natus et ipse senex.  
 119 Sic tibi Pannonios detur frenare rebelles  
 120 serviat et Nato Belgica turba diu.  
 121 Tu nostri miserere, precor, fessisque quietem  
 122 supplicibus veniam flentibus atque dato.  
 123 Ecce Naonaeos vexat discordia cives  
 124 nec tuti in proprio possumus esse lare.  
 125 Proh scelus indignum ! Cur lustris quinque peractis  
 126 non cessat tandem pessima seditio ?  
 127 Nos tua turba sumus, seu nos obsistere turmis,  
 128 seu nos in rabidas jusseris ire feras.  
 129 Pro te Sithonias glacies Scythicasque pruinas  
 130 possumus et subitam, Caesar, adire necem.  
 131 Ergo tu nostrae tandem miserere ruinae,  
 132 Caesar, et oppiduli jam miserere tui.  
 133 Haec ego concinui Naucelli natus ad undas.  
 134 Paulus Amaltheae prima favilla domus.  
 135 Quae si grata tibi sunt, invictissime Caesar,  
 136 non dubito genium carmen habere meum.  
 137 Post ego plura canam et vestrae praeconia laudis  
 138 et dicam Austriacae facta superba domus.  
 139 Nunc quod composui non longo concitus oestro,  
 140 accipias laeta fronte poema precor :  
 141 sit licet insulsum nec tanto principe dignum  
 142 nec Phoebum sapiat Pieriasque deas,  
 143 non tamen hoc doctas quaeso tibi laeserit aures :  
 144 offendit nusquam pauper acerra Jovem.

AD EGREGIUM IURIS CONSULTUM GULIELMUM GRAECILUM

C\_6 v.1 Graecile, doctarum custos sanctissime legum,  
 2 interpres juris Caesareique fori,  
 3 cui virtus praeclara frui dedit aure Tonantis  
 4 et Latii propius ora videre ducis :

5 te duce Palladio Caesar nos induit auro,  
 6 te duce sum lauro nobilis Aonia.  
 7 Ergo pro tanto quidnam tibi munere reddam,  
 8 cum sim pauperior quam miser Irus erat ?  
 9 Non nos Gallaico quod foderit Astur in agro,  
 10 nec dabimus flavi dona beata Tagi,  
 11 nec quod Erythraeo dives dedit unda profundo,  
 12 nec quod phoenicis funere colligitur.  
 13 Ista sub imperio Fortunae et versilis orbis,  
 14 ista fluunt veluti sole cadente nives.  
 15 At tibi, quod nec aquae nec flamma auferre nec Euri  
 16 annorum aut morsus aut Jovis ira potest,  
 17 nos dabimus carmen : Genium si carmen habebit,  
 18 Graecile, dat nomen, dat sine morte decus.

DE QUINQUE VOCALIBUS QUAE ASCRIBUNTUR AQUILAE BICIPITI CAESARIS

C\_7 v.1 Lemmata sint aquilae cur sic adscripta bifronti,  
 2 quae satis obscure quinque elementa notant,  
 3 si quis scire cupis, paucis adverte) docebo :  
 4 hae sunt vocales, Rex Federice, tuae.  
 5 Prima docet, quianam volucrum regina vocatur  
 6 signa in perpetuum Caesaris atque Jovis.  
 7 Proxima, ut imperio fuit haec electa latino,  
 8 quando caput mundi Martia Roma fuit.  
 9 Tertia justitiam divini Caesaris addit,  
 10 quantam Dictaei non habuere foci.  
 11 Quod superest, aio binas monstrare figuras,  
 12 omnia Caesareas vincere posse manus.  
 13 Caesar habes felix, si vero creditur, omen :  
 14 aptior est titulis littera nulla tuis.

DE CORVO ALBO DIUI CAESARIS

C\_8 v.1 Quid tibi Phoebiei nocuerunt, corve, furores,  
 2 cum Maeandrus jam tibi cedat olor ?  
 3 Ecce per invicti spatiaris Caesaris aulam  
 4 lacteus et nulla est corpore menda tuo.  
 5 Lilia sic fulgent, gelidae sic mane pruinae,  
 6 sic nix in Scythicis albicat ipsa jugis.  
 7 Ergo ubi pro functa solvisti virgine poenas,  
 8 unde tibi tandem culpa piata venit ?  
 9 At puto (nec fallor) crimen tibi Caesar ademit,  
 10 cum non admittit principis aula scelus.

RESPONSIO CORVINI PRO CORVO

C\_9 v.1 Et mihi Phoebiei nocuerunt, Paule, furores  
 2 et sceleris poenas candida penna luit.  
 3 Ast ego Caesarea spatior quod lacteus aula,  
 4 nunc volucris varias disce, poeta, vices.  
 5 Displicui : voluit Phoebus nigrescere pennas ;  
 6 candentes Caesar reddere, quod placui.

## DE EODEM CORVO ALBO ET DE CORVINO RESCRIPTIO

C\_10 v.1 Laudavi niveum blando modo carmine corvum,  
 2 inter delicias Caesaris atque jocos.  
 3 Pro quo Corvinus Phoebea nobilis unda  
 4 rescripsit Clario proximiora deo.  
 5 O felix equidem : falso nec Apollinis ales  
 6 cum sit et arguto carmine factus olor.

## DE CANE BIFFO IO. BOL

C\_11 v.1 Biffe quid ostentas albos, canis improbe, dentes  
 2 et simulas risum nocte dieque simul ?  
 3 Num tibi ridiculi, stulti num, Biffe, videmur  
 4 nec nostros mores ingeniumque probas ?  
 5 Quicquid id est doceas. "Nostin Democriton illum ?  
 6 Hujus ego semper rideo more viri".

AD AMPLISSIMUM PATREM RAYMUNDUM PERAUDI  
 HONORATISSIMUM ANTISTITEM GURCENSEM S.R.E. CARDINALEM  
 C. PAULI AMALTHEI CARMEN GRATULATORIUM INCIPIIT

C\_12 v.1 Tarda quidem, sed grata tamen pervenit ad aures  
 2 fama meas, alboque diem fulcire lapillo  
 3 jussit ; et hinc rebus melius sperare caducis.  
 4 Nam dum Pannoniae Patres, plebesque Vienna  
 5 Romanum hospitio Regem capit ; ille sepultis  
 6 manibus incassum dicit de more salutem  
 7 Caesaris ad tumulum : candenti stridula penna  
 8 fama volans, primoque levi contenta susurro,  
 9 constitit applaudens in summi culmine tecti.  
 10 Mox, ubi jam patulas dictis majoribus aures  
 11 excepit, dubiamque fidem sub murmure primo ;  
 12 centum aperit linguas, funditque has pectore voces :  
 13 "Illa ego terrigenis quondam Titanibus ultrix ;  
 14 cui Caelum pernosse datum, Mundique patentis  
 15 intima, et infernae rimari arcana paludis ;  
 16 nuntio Cardineos apices, tyriumque galerum,  
 17 Peraudi Raemunde, tibi". Nec plura locuta  
 18 protinus elatis petiit levis aera pennis.  
 19 Vox tamen una omnes passim diffusa per aures  
 20 constitit. Hic narrat : petit hic : ast alter aperto  
 21 te monstrat digito, nutuque ostendit et ore.  
 22 Assurgit jam turba tibi populique patrumque :  
 23 dat dextram Rex ipse simul ; multa repletus  
 24 pectora laetitia, multo amplexatur amore :  
 25 lentescitque viri maeror ; funusque parentis  
 26 perfusum lacrymis tanta mercede rependit.  
 27 At mihi quis poterit vel longo expromere versu  
 28 gaudia, quae nostrum pertentant undique pectus ?  
 29 Gratus haud dederit, quod mille rogatibus opto,  
 30 Caesar, et ad sacros contendo carmine postes.

31 Non si Pieridum muscosa per antra sororum  
 32 inter pallentes hederas, sacrumque viretum,  
 33 me ducat jucunda Erato ; mixtoque corymbo  
 34 florida connectens ornato sarta capillo,  
 35 Castalias mihi turbet aquas, totumque propinet  
 36 flumen ; et insani referet penetrabile furoris ;  
 37 unde ego Dircaeo dicar praecellere Vati  
 38 carmine, et Andaeum plectro superare Maronem,  
 39 Cimbriacumque meum ; quo post Demosthenis acta,  
 40 nullus Apollineas propensius hauserit undas.  
 41 Non si Caelicolas inter, nitidosque per axes  
 42 ducerer ; et Caeli suprema parte locarer :  
 43 tanta sub insano trepidarent pectore nobis  
 44 gaudia ; tam laetus circum praecordia sensus.  
 45 Non hic fingo lyra : nam dum gestire per omnes  
 46 prosequimur motus ; animoque et voce fatemur  
 47 laetitiam ; passim nobis gratantur amici :  
 48 tantaque praecelsae censent fastigia laudis  
 49 in partem cessisse mihi. Vos pandite, quaeso ;  
 50 pandite, Libethri dominae, quae causa beavit  
 51 tanta virum ; sacrisque jubet per tempora vittis  
 52 addere purpuream praesigni laude Tiaram.  
 53 Ipse licet nolit, ventosaque murmura famae  
 54 negligat, et de se toto praeconia vultu ;  
 55 vos nobis cantate tamen ; lateque per orbem  
 56 (nesciat ille) palam non una fundite voce.  
 57 Juppiter aetheream laetus conscenderat arcem,  
 58 despiciens late placido mortalia vultu.  
 59 Qua protensus equo Chiron Gortynia torques  
 60 spicula. Tunc etiam lento felicior arcu :  
 61 Cum Dea sollicito gressu mortalibus aegris  
 62 scissa genas, lacrimisque madens, turbataque crinem ;  
 63 et pullis vittis, et nigra sordida amictu ;  
 64 et quasi de tepido rediens modo maesta sepulcro  
 65 aut patris, aut nati, viduaque a morte mariti ;  
 66 constitit ante Jovem, fuditque has ore querelas.  
 67 "Rex hominum, Divumque sator, cui sidera Caeli,  
 68 cui Mundi anfractus, Lachesis cui stamina parent :  
 69 quo torques tua fata manu ? Quo dedecus ingens  
 70 usque sinis ? Nostrumque jubes decedere nomen ?  
 71 En aras foedare sacras penetralibus ipsis  
 72 aspiciamus : Sacri nulla est reverentia cultus :  
 73 nulla fides : maeretque illuso numine Christus.  
 74 At memini amissas hostili vulnere terras  
 75 Europae atque Asiae, et Libyci dispendia regni :  
 76 quae saevus Maumethus habet. Rituque nefando  
 77 polluit Athei referens praecepta magistri ;  
 78 cui bona summa fuit tantum sibi nata voluptas ;  
 79 aegre passa minus. Nam res solabar abactas,  
 80 quod fore perpetuum, fati volventibus aevum,  
 81 ductorem audieram Latio, gentique togatae ;  
 82 progeniem antiquam, Superum genus aethere lapsum ;  
 83 qui procul a rigido Tanai, Scythicaque palude,  
 84 et numquam reflui boreali frigore ponti ;  
 85 Arctius admissus qua mugit Bosphorus undis  
 86 insanis, instatque freto ; qua saeva Propontis

87 urget Phrygiae pelagus fatale puellae ;  
 88 Aegaeum<que> petit Pharius qua denique tractus  
 89 usque Palaestinam, felicitisque ostia Nili  
 90 vergitur, et bifidae dirimit confinia terrae.  
 91 Hic stirpem invisam nobis, caeloque, tibi que  
 92 pelleret hinc illinc penitus, secumque triumpho  
 93 condita Marmaricis traheret magalibus arva.  
 94 Haec erat insani nobis spes una doloris.  
 95 Nec minor interea maesto de corde levabat  
 96 hoc nobis medicina malum ; quod bina praeibat  
 97 flamma mihi ; nomenque meum, mea sacra per orbem  
 98 tunc passim clarere dabat. Sic aurea Luna  
 99 cornibus exactis ; nitida sic lampade Phoebus  
 100 ignea recludit trepidis mortalibus astra,  
 101 cum bene sudificas Aquilo siccaverit alas.  
 102 Tunc quodcumque meo passim sub jure tuebar ;  
 103 hoc virtutis erat. Tunc imo corde sedebat  
 104 candida simplicitas ; veraxque a pectore murmur  
 105 prodebat, non vana fides. Quid plura ? Relinquens  
 106 sidera, tunc terras felicius ipsa colebam.  
 107 Tantum vox patrum passim vulgata bonorum  
 108 evaluit : sic illa animo, sic moribus aetas  
 109 enituit ; qua praecipue Mevania colles  
 110 explicat ; et flexo late sub poplite magno  
 111 Apennine tuo crescentes erigit arces  
 112 Assisii (alma Virum finxit natura creando  
 113 de vultu, pie Christe, tuo) quo tempore felix,  
 114 o nimium felix ! Et Iberia vidit Alumnum,  
 115 qui saga sub pallentia pullo texit amictu.  
 116 Quos, Pater, hunc rapidi radiasti lampade Solis ;  
 117 illiusque tuo signasti stigmatem pectus.  
 118 At nunc (proh pietas !) foede mea regna tuentur  
 119 stupra, doli, fraudes, venalia jura, rapinae  
 120 ambitio infelix, et habendi sacra libido.  
 121 Curiaque Ausonii quondam veneranda Senatus  
 122 prostat : et hic raro servant vestigia Christi.  
 123 Dedecus hoc pateris ? Nec te jactura tuorum  
 124 commovet, et Stygii crudelis praeda tyranni ? "  
 125 Juppiter haec contra : "Tristes deponere querelas,  
 126 nata, tuas. Venit numeris labentibus aetas,  
 127 et gratae redire vices : jam sorte benigna  
 128 undique mutato laetatur sidere Mundus.  
 129 In pejus nec fata traho ; nec dedecus ultra  
 130 hoc patior quicquam. Sic lex tamen ardua fati  
 131 volvitur, et caesis mortalibus addimus annos,  
 132 ut tandem in sanctae redeant probitatis amorem.  
 133 Deferimusque nefas multum ; tandemque morantes  
 134 nostras supplicii gravitate extendimus iras.  
 135 Nam tibi consilium (quoniam cupis) omne fatebor,  
 136 nata, meum ; rebusque tuis sperare jubebo.  
 137 Nuper Alexandrum (neque enim laudare necesse est  
 138 hunc tibi, quem pridem tenera de matre cadentem  
 139 suscipis ; et pleno praesens alis ubere natum :  
 140 vagitusque foves gremio, pueriliaque ora  
 141 veridico sermone colis : tum pectora sanctis  
 142 moribus, et rigido praecordia condis honesto)



143 Pontificem in magnum Latialis curia patrum,  
 144 auspiciis instructa meis, elegit ; et ambas  
 145 sedula divino concessit munere claves.  
 146 Hic mores, legesque tuas, lateque per orbem  
 147 sacra feret, sacris redimitus tempora vittis ;  
 148 et populum antiqua sub religione tenebit ;  
 149 aureaque instituet felici saecula regno.  
 150 Nam ductor Latii, quem tu tam rere futurum  
 151 Europae, atque Asiae insignem, Libycisque triumphis,  
 152 Maximianus erit : carique funere patris  
 153 vix posito in saevos molitur proelia Turcas :  
 154 jamque armat fortes furibunda in bella phalanges.  
 155 Helvetius jam signa movet : jam classica Rhaetum  
 156 aere cient rauco : nitidis jam Noricus armis  
 157 saevus in arma ruit : laeso tonat aethere bombus  
 158 horrendum, et torvis reboat mugitibus Echo,  
 159 Vindelicus dum castra petit, longaque Suevus  
 160 cuspide, et audaci suffultus terga bipenni.  
 161 Jam Germanus eques foedum sibi concipit hostem  
 162 pectore, et abreptum prostrato ex hoste trophaeum.  
 163 Sed cum tantarum meditatur pondera rerum  
 164 Pontificalis apex ; tantasque in proelia vires  
 165 Caesar agit ; nec posse datur molimina rerum  
 166 tantarum sine consilio, sine mente sagaci  
 167 construere ; ut tanto curarum fasce levetur  
 168 et meus hic Caesar, et maximus inde Sacerdos ;  
 169 consiliis comitem tanto sub pondere rerum,  
 170 suppetiasque utrique damus : nec te moror ultra.  
 171 Raemundus superat Gallis mihi natus in oris,  
 172 vir sacer, atque omni virtutis ab orbe fugatae  
 173 seclusaeque fides : quem nec fortuna sinistra  
 174 terruit, aut laeto turbavit pectora vultu  
 175 sacra viro. Huic animus callens rationis ; et usus  
 176 et rerum lapsus, latitansque in rebus acumen  
 177 prospicit, atque suo moderatur concta rigore.  
 178 Huic ego sidereas ausim bene credere sedes,  
 179 Saturni, Martisque globos, Solisque jugales,  
 180 nil Phaetonteam Mundo metuente ruinam :  
 181 quaeque per obliquam raptim Latonia Zonam  
 182 advolat ; et totiens a fratris luce rebellat.  
 183 Expers ipse sui, proh quanto robore mentis  
 184 accedet vel Marte duci, vel pace togato  
 185 Pontifici. Sic, quum fessus jam pondere Mundi  
 186 Maurus Atlas, humeris molem Amphitryonia proles  
 187 suscipit (ut perhibent) operamque apponit Olympo.  
 188 Exin quanta viro virtutem copia ! Nulli  
 189 nobilior pietas : nulli reverentia recti  
 190 promptior : in nulla major clementia sedit  
 191 pectora, et in tergum reflexo gratia vultu.  
 192 Accedit quam larga manus ; quam prodiga fandi  
 193 copia ; quam subitae felix solertia mentis.  
 194 Hinc modus, hinc rerum circum divortia finis,  
 195 hinc dotes, natura, tuae, quo vivere paucis  
 196 gaudet ; et obducto renuit mortalia vultu.  
 197 Huic ergo dare summa placet ; longaque tueri  
 198 sorte virum : incedat Sarrano cultus in Ostro

199 Pontifici conjunctus honos". Sic fatur. Et arces  
 200 jam tenet Ausonias celeris Tegeaticus alis,  
 201 qua flavas Tiberinus aquas non gurgite lento  
 202 eruit ; et magnae tolluntur moenia Romae  
 203 septenis expansa jugis. Mandata Tonantis  
 204 explicat, et tacite divinum inspirat amorem  
 205 Pontifici in primis ipsi. Simul una libido  
 206 omnibus incessit patribus, totoque Senatu.  
 207 Cardineus tibi cedit honos. Quo vellere lucem  
 208 hanc, Clotho. Glomerare jubes ? Qua condere gemma  
 209 fas erit ? Aut quali, nos custodire volatu ?  
 210 Ducite candentes felici stamine fusos  
 211 concordēs stabili fatorum numine Parcae.  
 212 Nil atrum mihi turbet opus. Durabilis annos  
 213 in cunctos Adamas Scythico de more pharetram  
 214 fulciat : Huc Phrygiae pellucidus accola ripae  
 215 Maeandraeus olor cedat ; sanctumque furorem  
 216 mota mihi leviter venerabilis ala vapore,  
 217 nostraque sollicitet toto praecordia Phoebō ;  
 218 ut deinceps majora canam ; longumque per aevum  
 219 Raemundi aeternae mandem praeconia famae.

C. PAULI AMALTHEI CARMEN LYRICUM IN MAXIMILIANI ROMANORUM REGIS LAUDEM

C\_13 v.1 Ecquis occurrit fidibus canoris  
 2 aut vir aut digna celebrandus heros  
 3 laude ? Quid nostro potius Camenae  
 4 tempore dicant ?  
 5 Bacchus, an saevae merito novercae  
 6 Hercules latum domitor per orbem  
 7 fingitur, pinu generosus atque  
 8 robore clavae ?  
 9 Alter antiquos Pelopis nepotes  
 10 dicat et Colchon vehat Argonautas  
 11 nec domum tristis Priami labentem  
 12 carmine linquat.  
 13 Scimus errantem patriis Ulixem  
 14 finibus longe spatium bilustri,  
 15 nec minus natum Veneris petentem  
 16 Itala regna.  
 17 Alter audacem puerum Philippi  
 18 scribat et Croesum tamen haud beatum  
 19 et gravem Xerxem tepidoque laetum  
 20 sanguine Cyrum.  
 21 Novimus pridem Lybicas cohortes  
 22 quo duce in gentem ruerint Latinam ;  
 23 scimus et Gallos miserae occupantes  
 24 moenia Romae.  
 25 Notius magno nihil est Quirino,  
 26 Julius claret, nitet et Camillus,  
 27 et tua aeterna, Cytherea, proles  
 28 ardua fama.  
 29 Hos satis linguax cecinit vetustas  
 30 invida in nostrum violenter aevum  
 31 ficta quae veris pariter canendo

32 miscet, et auget.  
33 Sit magis, Clio, mihi cura, magnum  
34 Caesarem primo tenui referre  
35 tibia ; quod si mihi praestet ingens  
36 robur Apollo,  
37 si meis Caesar faveat Camenis  
38 sitque Fuxmaggus mihi Tuscus ales,  
39 quique nunc Breucos domat et superbum  
40 Marte Bohemum,  
41 induam suras rigido cothurno  
42 syrmatum plantaeque trahent superbum  
43 atque majori pede concitatus  
44 bella sonabo.  
45 Tunc et ornatu capitis Sicambrum  
46 nobilem atque imis Morinum sub oris  
47 fortius bello domitum cruento  
48 carmine dicam.  
49 Austrios posthac repetam penatis  
50 et canam Vestrae nova facta gentis,  
51 donec adducam numeros ad atra  
52 Pannonis arma.  
53 Hic ego Breucos referam profusos,  
54 qua Saus miscet latices in Istrum  
55 atque Taurino Sabaritas addam,  
56 nobile bellum.  
57 Quantus in summo residens Olympo  
58 Jupiter claros nitet inter ignes,  
59 tantus in terris generosa proles  
60 Caesaris exstat ;  
61 utque frondescens adolescit alnus  
62 vere, quom passim queritur volucris,  
63 quom viret magnum rediens per orbem  
64 pulchrior annus.  
65 Dulce quom spirant zephyri et benigne  
66 solvitur tellus gravior colonis :  
67 fama sic sese subigit sub auras  
68 Maximiani.  
69 Di, quibus cordi decor est honesti  
70 quique vel rectum colitis vel aequum,  
71 huic date o tandem superare gentem  
72 Marte ferocem.  
73 Ille post aequo domitum triumpho  
74 Pannonem in saevos parat arma Turcas  
75 et Palaestinam penitus Quiritum  
76 reddere regno,  
77 ut nihil nostro vigeat sub aevo  
78 majus in terris populo fideli,  
79 quem vetus nusquam veniens nec olim  
80 viderit aetas.  
81 Caesar huic mundi tribuens habenas  
82 vivat et fato meliore natum  
83 magna cedentem videat nepoti  
84 sceptrum Philippo.

AD MAGNIFICUM ET GENEROSUM VIRUM GEORGIUM HELECHREM PORTUS NAONIS PRAEFECTUM  
 C. PAULI AMALTHEI CARMEN DE LUDO TROIANO FAUSTISSIMI REGIS MAXIMILLIANI

C\_14 v.1 Jam mihi Pimpleos sit fas haurire liquores  
 2 pronius et fontes totumque Heliconam movere  
 3 et te, Phoebe, choris et vos accersere divae  
 4 Pierides, Maiaque satum Bromiumque potentem  
 5 Bellerophontei celeberrima numina fontis ;  
 6 et tu Bistonias praesens tutela per oras,  
 7 si vacat et nullum deterret Strymona bellum,  
 8 huc, Gradive, uni galeaque insignis et ense  
 9 illum quaeso mihi praestes in plectra furorem,  
 10 quem tua cura, pater, bello fortissimus heros  
 11 Maximianus habet, quum pectore fertur in arma  
 12 praecipiti gaudetque vias aperire per hostes.  
 13 Tuque o Romanae princeps faustissime gentis,  
 14 cui Belgas superare datum tortisque Sicambros  
 15 crinibus et multo conflictos Marte Batavos  
 16 extremosque hominum Morinos, cui Gallia bello  
 17 maxima sanguineo ter dena trophaea reliquit,  
 18 Maximiane, adsis praesensque in carmine vires  
 19 Aonias praesta et nostri praeludia plectri  
 20 accipe nec gratos velis interiisse labores.  
 21 Panditur Ensinis tellus exculpta colonis  
 22 Pannoniam supra, clivosis condita passim  
 23 collibus et rapido, nulli non nobilis amne  
 24 Danubii, qui saevit aquis seroque canali  
 25 impetit Euxinum mutato nomine pontum.  
 26 Cujus in undisonae consurgit margine ripae  
 27 nobilis urbs Lincii : sic illam nomine dicunt  
 28 indigenae populi, vario seu nebrida cultu  
 29 insimulat, seu quod celsa speculatur ab arce  
 30 exploratque procul visuque simillima lynxi.  
 31 Hic, postquam Latiis Caesar concessit ab oris  
 32 lustravitque urbes Venetas Portumque Naonis  
 33 Alsaeias undas et te, Tergeste, reliquit,  
 34 concilium vocat heroum : sic turba deorum  
 35 undique terrifici properant ad jussa Tonantis.  
 36 Convenere duces, seu secum foedera jungi,  
 37 sive Asiam bellare parant Turcosque feroces,  
 38 sive Palaestina penitus detrudere terra  
 39 gentem invisam superis Christique sepulchrum  
 40 Romano imperio nec iniquo asciscere bello.  
 41 Atque ea dum inter se vario sermone volutant,  
 42 per varios ludos longa et spectacula rerum  
 43 consumunt alii soles : hic currere forti  
 44 gaudet equo, ille pedes melior contendere metas,  
 45 hic jacet ingenti concussum hastile lacerto,  
 46 ille graves ferri contorquet in aera massas  
 47 Sisyphium aut vertit onus libratque per auras  
 48 non Diomedeo cedentia pondera saxo,  
 49 hic chalybis pilulas ferro detrudit et igni,  
 50 unde tremit tellus resonatque fragoribus aer.  
 51 Ille recurvato torquet Cydonia pinu  
 52 spicula, sed funda vacuas hic verberat auras.  
 53 Alter Amyclaeis nudatus membra palaestris

54 se parat, ast alius nunc propugnacula fingit,  
55 Nunc aciem ducit, fictos nunc provocat hostes.  
56 Non tot in Eleis certamina vidit Olympus  
57 collibus aut varios per tot discrimina ludos.  
58 Haec dum cottidie diversa gymnade fiunt,  
59 spectatum venit huc pietate insignis et armis  
60 Maximianus et haec placida cum mente videret,  
61 protinus ecce illi circum praecordia fibrae  
62 undique prosiliunt animosaeque pectora sanguis  
63 occupat atque ardet sese committere pugnae.  
64 Ut leo latrantes solitus spectare Molossos,  
65 si forte invadunt venientem montibus ursum  
66 terribilemve aprum, nec se certamini eorum  
67 inserit aut tanti conturbat proelia belli ;  
68 attamen ille sibi discrimina tanta moveri  
69 exoptat similesque sibi desiderat hostes :  
70 sic et Germanae decus indelebile gentis  
71 Maximianus agit ; nam tanta per agmina victor  
72 esse cupit cunctosque suo concedere Marti.  
73 Continuo socios alta sic voce profatur :  
74 "Audite o juvenes, quorum praecordia virtus  
75 inclyta non patitur segni torpere veterno,  
76 sed quibus inventa est per Martia tela, per hostes  
77 gloria : nunc vestrum si quis concurrere mecum  
78 audeat equo, croceos cum primum crastinus ortus  
79 extulerit Titan et opima lampade terras  
80 sparserit, indutus clypeo galeaque comanti  
81 pectoreque Actaeae portans thoraca Minervae  
82 huc gressus animumque ferat : si vicerit, illum  
83 praemia digna manent ; quod si vincetur, honoris  
84 gloria, virtutis satis est in praemia nobis."  
85 Dixerat : ecce omnes vario jam murmure secum  
86 conveniunt quaeruntque diu, quis currere contra  
87 audeat et Latio sese committere regi,  
88 cum sit Pellaeo vel Caesare major in armis,  
89 Scipiades titulis superet belloque Lyaeum  
90 et Pallenaeos aequet jam Marte triumphos.  
91 Omnibus haec tandem melior sententia visa est :  
92 quatuor aequali virtute animoque potentes  
93 florentes annis et avito sanguine clari  
94 Ausonium regem gladioque hastaque lacessant ;  
95 quos contra rex ipse tribus comitatus in armis  
96 occurrat fiatque pari discrimine bellum ;  
97 bellum quod Phrygiis quondam devexit ab oris  
98 Troius Aeneas et adhuc labentibus annis  
99 nomen habet magnae dictum de nomine Trojae.  
100 Posterus Eois Phoebus surgebat ab undis  
101 candidus et nullis suffultus nubibus orbem.  
102 Extemplo induitur nitidis rex maximus armis,  
103 pectora lorica primum stant fulva trilici,  
104 fibula deinde super magnum thoraca renectit,  
105 tum galea premiturque caput clypeoque lacertus,  
106 a laeva pendet clava et Mavortius ensis,  
107 at solida a dextris stat acutae cuspidis hasta ;  
108 magnanimum tum scandit equum, cui sub pede tellus  
109 pulsa tremit ; non ille feris parere lupatis

110 nec scit stare loco et mandit spumantia frena :  
111 qualis Threicius sonipes Mavorte superbus  
112 ingemit et magnis propellit flatibus Hebrum,  
113 quale Therapnaeus dempto Polluce ferebat  
114 Cyllarus ingenti galeatum Castora dorso.  
115 Addunt se comites domino regique Quiritum ;  
116 primus Anholdensis comes, huic Dissischius heros  
117 proximus it virtute pari, quem deinde Joannes  
118 Rheiherburger ovans sequitur clauditque cohortem.  
119 Ecce alia de parte novis Juaninius armis  
120 accelerat juvenis, solus qui occurrere turmis  
121 audeat, Alcide veniens in proelia major.  
122 Raunacher hunc sequitur, totamque pererrat arenam  
123 egregius forma juvenis Lamberger, adhaeret  
124 Oberaymer ei : laetos jam Marte futuro  
125 omnes campus habet aequos aetate vel armis.  
126 Hic fuit imposito Tritonia pectore monstro  
127 Marsque pater medio jam laetus in agmine turmas  
128 componitque additque animos praestatque furores.  
129 Nunc mihi Musa refer, quantos in bella furores  
130 movit utrimque deus, quis tanti praemia ludi  
131 detulit aut tanto victus certamine cessit.  
132 Fas audita loqui : nec vinci turpe putetis,  
133 eximii proceres, si vobis gloria major  
134 contendisse fuit quam duri infamia belli.  
135 Classica terribilem sonitum dant aere canoro.  
136 Emicat acer equus : longam Rex pronus in hastam  
137 primus bella ciet rumpitque in pectore truncos  
138 Antonii, primus qui sit concurrere contra  
139 ausus equi primus percussit vertice clunes.  
140 Insequitur plaususque virum clangorque tubarum.  
141 Raunacher invadit comitem : fit viribus aequis  
142 impetus ac pinu magnum Disischion urget  
143 Gaspar et amissis fertur furibundus habenis.  
144 Infelix juvenis, cui non sub pectore virtus  
145 defuit aut animus saevique peritia Martis,  
146 sed nocuit fortuna viro : nam protinus hasta  
147 cornipede excussus tergo percussit arenam.  
148 Ecce autem praiceps ruit Oberaymer in arma  
149 ulturus socium, clypeo cui tectus adunco  
150 hinc Rheiherburger parili virtute Joannes  
151 occurrit : frangunt hastas, volat aere truncus  
152 assiduus pulvisque rapit caelumque diemque.  
153 Tum vero ingeminant populi per gymnada voces  
154 et litui resonant : vagina protinus omnes  
155 eripiunt ensem adversosque feruntur in hostes.  
156 Bellona in medio tortis accincta colubris  
157 agmine bacchatur, atque aequa lance rependens  
158 hac nec parte magis premit aut consurgit ab illa :  
159 hi nunc terga fugae vertunt nunc comminus instant  
160 infensis similes inimicaque terga fatigant,  
161 saepe cavent ictus et tota per aequora currunt.  
162 Rex elatus equo te nunc, Ivaninie, in omnes  
163 insequitur partes, in te rex ipse moratur,  
164 te petit ense truci per tempora perque lacertos  
165 perque amplos humeros, nec respirare facultas.

166 Tu tamen hunc contra frustra conatus in ensem  
 167 erigeris : resonat crebris tinnitibus aer.  
 168 Non secus atque lupo concedit aperque leoni  
 169 si forte inciderit, tandem dare terga coactus  
 170 cessisti, Antoni, tota depulsus arena.  
 171 Non tamen absolvit saevi certamina belli  
 172 Caesareus juvenis : socios in parte remota  
 173 Oberaymer agit, te magno Raunacher ense  
 174 exagitat cogitque ipso concedere campo.  
 175 Huc ruit, huc praeceps it Maximianus in arma  
 176 se comitante deo : veluti cum tigris abactis  
 177 fetibus orbatique ruunt in tela leones  
 178 exoptantque animam pro caris ponere natis,  
 179 sic illos nunc urget equo, nunc pondere clavae,  
 180 elato nunc ense premit solusque duobus  
 181 sufficit instauratque ipso certamine vires.  
 182 Ac veluti accensos bacchatur flamma per agros,  
 183 quam manus invidia vicini aut forte viator  
 184 apposuit : fit eo major quo fortius urit  
 185 excrescitque magis quo plures repperit escas :  
 186 sic tua magnanimo surgens in pectore virtus,  
 187 Maximiane, novos auget bellando furores,  
 188 donec anhelantes ambo fessique per arma  
 189 terga dedere fugae et tanto discrimine solus  
 190 constitit invictis rex Maximianus in armis.

C. PAULI AMALTHEI POETAE LAUREATI  
 EPICIDIUM IN OBITU FOEDERICI ROMANORUM IMPERATORIS AD MAMILLIANUM REGEM  
 INVICTISSIMUM IMPERATOREM DESIGNATUM

C\_15 v.1 Unde mihi, Caesar, lugubri in carmine numen  
 2 sollicitem ? Neque enim Pimpleam impellere rupem  
 3 fas erit, aut molli Bacchum deducere Nysa  
 4 funestum ad plectrum singultantesque querellas  
 5 vatis Apollineo procul hinc a fonte vagantis.  
 6 En qui Corycios pleno gustavimus haustu  
 7 facundos latices, qui tollere carmine laudes  
 8 heroum assueti, Phoebi nunc numine merso  
 9 nescio quae nostram convolvunt nubila mentem  
 10 et me flere jubent lamentaque fortia tantum  
 11 funesta dictare lyra. Jam nosco dolorem  
 12 et cum perpetuo manantia lumina fletu :  
 13 majestas Romana jacet, quo principe nobis  
 14 tota Therapnaeos spirabant pectora cycnos.  
 15 Ergo mihi aridulae sordescunt fronte corollae  
 16 et male pro lauro, viridi pro fronde corymbi  
 17 sordida Cyrneae serpunt per tempora taxi.  
 18 Nec tibi, cui celsas jam sors concessit habenas  
 19 Imperii, quem cura duplex, quem pondera rerum  
 20 jam majora manent, functi solatia patris  
 21 apta satis meditor : sic me miserabile fatum  
 22 confundit similisque movet turbatio casus ;  
 23 nec tibi divellam trepido de corde dolorem  
 24 carmine, si plectrum nobis aut Thracius Orpheus  
 25 aut Linus ipse daret, quamvis hunc prima dearum,

26 illum Pierio generasset Phoebus in antro.  
27 Namque diu Caesar, maesto medicamina vultu  
28 abnuis odistique lyram : sic orba leaena  
29 audiat aut catulis saevissima tigris abactis.  
30 Non te flere veto. Quis enim temerarius ausit  
31 aut lacrimas prohibere pias aut carmine vultus  
32 et rebus gestis et majestate verendos  
33 ab luctu revocare suo ? Te flere solute  
34 nos sinimus lacrimisque novos sedare dolores.  
35 Sed si tantus amor patris venerabile funus  
36 flere jubet, nos flere tibi, nos pulla movere  
37 plectra sinas niveique chelyn ne sperne poetae.  
38 Ipse ego pro latice Aonio Bromiique furore  
39 fronte tua lacrimas, longo suspiria tractu  
40 pectore concipiam, nullius Apollinis aestus  
41 indigus : his avibus condam miserabile carmen.  
42 Vos aeterni ignes, siquidem mortalia tangunt  
43 facta deos nec casus inest, sed foedere certo  
44 astra vices variant atque haec concordia discors  
45 rursus idem proprio deducit sidere tempus :  
46 vos mecum lugete nefas, obducite mecum  
47 protinus aeternos nigra ferrugine vultus.  
48 Terra tremat fugiantque ferae missusque repente  
49 per populos humilis pavor ambulet, omnia plorent  
50 nostrarque supremam formident saecula lucem.  
51 Proh dolor ! Ille senex crudelibus occubat umbris,  
52 cui genus et virtus sacrum diadema Quirini  
53 ferre dedit populosque manu rexisse potentes  
54 Germanos Latiosque simul, quo principe mundus  
55 candidus et grata compostus pace quievit  
56 nostrarque belligeri viderunt saecula Jani  
57 limina clausa iterum. Quod si tibi fata dedissent  
58 longius humanis leges indicere rebus,  
59 una foret toto similis concordia mundo.  
60 Non hominis, non ira ferae, non dira leonum  
61 saeviret rabies : impune per antra ferarum  
62 armentum et pecudes nullis custodibus irent  
63 Et commune latus cum tigride sterneret agnus.  
64 Perdidit ergo suam magno cum Caesare pacem  
65 mundus et aetheream concordia migrat in arcem  
66 invidiam factura solo. Quis lumina fletu  
67 temperet ? En maestos Romana potentia vultus  
68 induit et nigros Germania sumit amictus.  
69 Nam quamvis tanti pro funere principis omnem  
70 flere decet mundum, tamen haec amisit alumnum  
71 utraque ductorem, patriae Germania natum,  
72 Itala terra patrem, quo non praestantior alter  
73 justitiam populis aequata lance rependit.  
74 Terrarum caelique simul mundique latentis  
75 perscrutator obit, qui mentis acumine certo  
76 quadrifidi ex caelo partem collegit honesti,  
77 quae lapsa annectit praesentibus, ista futuris,  
78 quae callet ratione animi quaeque optima factu  
79 deligit indagans, procul aspernanda relinquit.  
80 Hac penitus Caesar mundum scrutatus et astra  
81 cernebat ventura procul, rebusque cavere



82 callidus imperium summa cum pace regebat.  
83 Ergo mille homines ad magni Caesaris ora  
84 consilium quaesitum ibant rebusque salutem  
85 usque suis, qua Phoebus equos irrorat Eois  
86 fluctibus, oceani qua stridet mersus in unda  
87 currus et insufflat nimbis gravis auster aquosis,  
88 unde furit Boreas flatuque repente sereno  
89 aethereos aperit maestis mortalibus axes.  
90 Ut quondam Ortygiae laurus tripodasque loquentes  
91 Delphorum aut adytum Cumis penetrare Sibyllae  
92 credula gens adiit consultum oracula Phoebi,  
93 aut veluti Assyriis redolentes nubibus aras  
94 centum et purpureo spumantes sanguine tauri,  
95 cornigero quom sacra Jovi Gaetulica pubes  
96 divinis operata facit, vel Achaia querna  
97 fronde Cytheriacas audit suspensa columbas  
98 consultans, rebus quae sit fortuna caducis :  
99 sic Caesar responsa dabat, sic conscia fati  
100 mens bona secreti reserabat numina caeli.  
101 Non tamen augurium cantu, non praepete penna  
102 omina captavit nec apertis credidit extis.  
103 Caelestis rationis opus, caelestia novit  
104 sidera, caelestis deprendit mente meatus :  
105 mundus ut occiduos rapido pede vergat in axes,  
106 aurea cui contra Phoebe brevior recessu  
107 nititur, utque eadem radiis obnoxia fratris  
108 nunc penitus toto, medio nunc luceat orbe,  
109 abdita nunc lateat, rursus nunc cornua sumat.  
110 Novit item erroneas, medius quos Phoebus anhelis  
111 circumspectat equis et amico temperat astro ;  
112 quid bissenae velint obliquae animalia zonae,  
113 qua se Phoebus agit ; qua se pulcherrima Luna  
114 proripit et reliqui bigas duxere Planetae ;  
115 quanto interstitii spatio Cyllenius erret  
116 a Phaethonte deus, quanto Titana sequatur,  
117 hinc quid promittant felicia sidera terris  
118 et Jovis et Veneris, quantum succensio Martis  
119 falciferique senis infesto stella recessu  
120 officiant. Hinc illa venit prudentia magni  
121 Caesaris. Haud aliter sententia dia Thaletis,  
122 Graecia quam Clario venerabilis imputat auro,  
123 decidit e caelo, quamquam mens conscia recti  
124 nil mortale sonans caelique infusa metallo,  
125 Iapetionides qualem finxisse Prometheus  
126 dicitur exiguo commiscens aethera limo,  
127 talis consiliis inter valet esse deorum.  
128 Namque deum perhibent, qui maximus imperat astris,  
129 arcanum divis commune minoribus, illos  
130 impartire aliis, donec qua lactea candet  
131 orbita, qua Cancri fervescit nobile sidus,  
132 unde Platon animas deduxit, nuntius arce  
133 missus ab aetherea, per stellas transvolus, orbem  
134 Saturni, Jovis et Martis solisque calores  
135 lucentesque rotas lunae per corpora transit  
136 et tandem in solidis ponit vestigia terris.  
137 Non tamen ignavas mentes, non obruta terris

138 ingenia et caeca rerum caligine mersa  
139 haec divum momenta adeunt, verum haec tenet heros  
140 munera justitia insignis, pietate verendus,  
141 religione sacer, non lingua aut pectore fictus,  
142 gratia quem meritis aequat, qui laude decoros  
143 observare viros didicit, punire nocentes,  
144 qualis erat Caesar. Nam si mihi vera fateri  
145 fas sit et haud fictis hunc addere rebus honorem,  
146 si te, sancte senex, hac majestate tulissent  
147 saecula, Dictaea tum quom peperere sub Ida  
148 tergeminos fratres, inferni jura senatus,  
149 non te vel Stygiae leges indicere genti,  
150 vel quassare nigram deductis sortibus urnam,  
151 cogere non flabris sontes scelera alta fateri,  
152 fingeret ulla chelys : per te foret anguibus orbis  
153 liber et assiduo securum vulture pectus.  
154 Sisyphus ingenti per te jam mole sederet  
155 deses inersque sua, nec inani Belides urna ;  
156 Tantalus haud poenas sitibundo solveret ore.  
157 Arbitrium caeleste forum divumque tribunal  
158 jure tuo multa cum majestate dedisset  
159 noster Apollo tibi, finxissent mille poetae.  
160 Per quos et poteras mores imponere caelo,  
161 tradere jura deis sedesque locare beatas  
162 pro meritis cuicumque suis, quo posset eadem  
163 majestate frui felix ; licet astra minori  
164 sorte beent alios, amor est tamen omnibus idem.  
165 Discant justitiam cunctae per saecula gentes  
166 te monstrante viam, tu clara exempla daturus  
167 posteritate tua es serisque nepotibus olim,  
168 quae sancto sint digna viro, quae praemia sonti.  
169 Ergo per te iterum terras Astraea revisit,  
170 cui comes alma Fides et terno Gratia vultu  
171 venit ab Orchomeno et propior Concordia gressu  
172 atque aliae plures pariter venere sorores.  
173 Ac veluti quondam Saturno principe passim  
174 agmina virtutum posuere sedilia terris,  
175 non belli, non fraudis erat, non dira cupido  
176 imperii, nullos divisit terminus agros ;  
177 in medio quaerebat opes sibi quisque modestas  
178 simpliciterque omnes communis mundus alebat :  
179 talia Foedericus cupiebat saecula Caesar,  
180 ista volutabat divino pectore semper,  
181 his innixus erat. Ergo cum Caesare terras  
182 sancta cohors recti prisco de more colebat.  
183 Quodsi non rabidum sedavit bella per orbem,  
184 non vitium rectoris erit, sed temporis error :  
185 ut quondam in mediis jactatam fluctibus ornum,  
186 quam ferus hinc Boreas, hinc turbidus Auster euntem  
187 vexat agens flatu, non ars non cura magistri  
188 hanc regit et frustra torquentur robora clavi :  
189 flatibus adversis colliditur aequore puppis  
190 in medio et nullus moderantem Nereus audit.  
191 Ipse nec astriferi quondam regnator Olympi  
192 invida saevorum vitavit bella Gigantum,  
193 quum ferus Enceladus immensis viribus Ossam

194 Pelio imposuit, laeva tunc tectus et armis  
195 tela trisulca Typhon non uno reppulit ictu  
196 contendens dextra summi fastigia caeli.  
197 Tum pater omnipotens celsa molitus ab arce  
198 fulmina disjecit molem, quo turbine mersos  
199 Inarimen alios, quosdam detrusit in Aetnam.  
200 At cui non notum est, pro religione tuenda  
201 te nullas timuisse vices nec vulnera saevi  
202 Martis et ancipitis non ulla pericula vitae ?  
203 Tanta tibi pietas et inenarrabilis ardor  
204 nostratis fidei viguit sub pectore semper,  
205 ut tu per Scythicae glacialis frigora brumae  
206 ire, per arduas Libyes sitiens arenas,  
207 qua non ulla hominis calcant vestigia terras,  
208 si Maleae credenda ratis, si Syrtibus esset,  
209 si quaecumque vagum discrimina possidet aequor  
210 sint adeunda tibi, quaecumque pericula tellus,  
211 vitasses nullos Christi pro jure labores.  
212 Nec tibi fingo lyra : stat sancti pectoris index  
213 historia, Aoniis centum stant ora poetis,  
214 Caesar, ut edictum venerandaque jussa per orbem  
215 miseris et passim proceres collegeris una,  
216 qua cadit immodico per saxa sonantia fluctu  
217 Ister Noricii perstringens rura coloni,  
218 quaque Ratisponae detrectat pondera molis  
219 tergore tanta suo collectoque agmine magno  
220 et nivis et pluviae stantem detrudere pontem  
221 sperat et Euxinas secum rapere omnia in undas.  
222 At moles immota manet glaciesque nivales  
223 ferre potens rapidi contemnit murmura fluctus.  
224 Hic Caesar concussa videns labefactaque multum  
225 fundamenta fidei magna ex parte teneri  
226 hostibus Europen et jam ter milia centum  
227 Romani de jure soli, de jure potentis  
228 Ecclesiae cessisse feris sine vulnere Turcis,  
229 proponis quae damna fides Romana tulisset,  
230 quae spes sit reliqui, quantae victoria laudi,  
231 praemia quanta forent, nostris si finibus olim  
232 pellere Turcarum foedissima jura liceret.  
233 Quare se bello accingant, duce Caesare, bello  
234 crudelem Europes depellant limite gentem.  
235 Inde Palaestinam promissaque regna prophetis  
236 invadant, Asiae qua pars pulcherrima terrae  
237 solis ab occasu Libyes disjungitur arvis  
238 et brevior tellus alternis fluctibus obstat,  
239 ne nostrum invadant Eoa pericula pontum.  
240 Caesaris hi monitus ; sed vos, qui pectore Christum  
241 concipitis trinumque Deum censetis et unum,  
242 dicite mortales, quae tanta insania mentem  
243 praecipitat conferre manus, concurrere saeve  
244 alter in alterius temerando viscera ferro ?  
245 Barbarus hostis habet pueri cunabula Christi  
246 sanctaque pollutis calcant vestigia plantis  
247 pressa deo totaque tenet cum mole sepulchrum,  
248 quo deus impositus post tertia lumina Phoebi  
249 vivus ab integro visit mortalia Christus.

250 Tu tamen assequeris, tota quod mente petisti  
251 semper et a superis sexcenta in vota vocasti,  
252 sancte senex : umbris quod te labente, priusquam  
253 functe fores omni concessae munere vitae,  
254 vidisti immensum pacatis gentibus orbem.  
255 Nulla quidem diro temeranda licentia ferro  
256 te moriente fuit, nullo Tritonia monstro  
257 horrida, gaudebat positus Mars impius armis.  
258 Digna quidem merces tam sanctis moribus atque  
259 ingenio donata tuo. Quis comparat aevum  
260 praeteritum ? A Nino longos quis colligit annos  
261 tempus adusque tuum, quonam sub principe mundo  
262 tanta quies fuerit ? Quando tam prodiga vultu,  
263 tam bona Pax niveis hilaravit saecula pennis ?  
264 Clauserit Augustus vesani limina belli  
265 rexerit et laetum patriis virtutibus orbem,  
266 quum saevus super arma sedens, post terga revinctus  
267 brachia sanguineo Furor horridus ore fremebat.  
268 Sed Romana quies fuit haec, sed bella per orbem  
269 altera, sed Tiphys, Minyos sed nobilis Argo  
270 vexit et in Phrygios iterum pugnavit Achilles.  
271 Nunc pax alma tenet caeli cum cardine utroque  
272 solis utramque domum : testes sunt Caesaris ipsae  
273 Austriacae gentes majoraque gentibus astra,  
274 hanc sibi pollicitum supremo in funere pacem.  
275 Ergo quid ignavos fingis tibi Caesaris annos  
276 invidere ? Nec placidae commendas dona quietis ?  
277 Num pacem non summa tenent ? Num sidera caeli  
278 inter se adverso miscet discordia motu ?  
279 Principio nondum fundato quattuor ortu  
280 corporibus, nullis gyranibus aethere celso  
281 sideribus, quom mole rudi confusaque passim  
282 materies per inane chaos sine pondere pondus  
283 iret et incerto traheretur in omnia motu,  
284 quis mare quis solidam telluris ab aere massam  
285 rursus et aeternum clausisset ab aethere mundum,  
286 ni prius in rebus Concordia facta fuisset ?  
287 Haec dea stelliferum vario discrimine caelum  
288 distinxit rebusque vices et tempora fecit ;  
289 hinc humus et plantis et versicoloribus herbis  
290 enituit passim floresque et poma quotannis  
291 praebuit, hinc valles et opacis fontibus undas  
292 prostratosque lacus longe silvasque comantes  
293 montibus excelsis, ubi cum sine legibus ullis  
294 agrestes homines deserta per antra ferarum  
295 errarent vulgo frugi sine munere vitae,  
296 candida pax illos coetum collegit in unum  
297 tectaque parietibus junxit, ne tristior Euri  
298 impetus aut pluviosae Hyades, ne saevus Orion  
299 sidere vexaret ; demum civilibus illos  
300 moribus instituit, patriae caroque parenti  
301 quantum elargiri deceat, quo frater amore  
302 et soror et conjunx et natus amandus et hospes.  
303 Tum primum incurvo terram molitus aratro  
304 fossor et obliquo stringens mucrone racemos  
305 collegit fruges et apricis collibus uvas

306 edidicitque sibi duro sudore parare,  
307 quo posset vicisse famem brumaeque rigorem  
308 a membris cohibere suis. Non impetus hostis  
309 armorumve fuit. Tamen illo tempore Clotho  
310 condebat nostram meliori stamine vitam.  
311 Quod si tantus amor belli nec Caesare dignum  
312 Imperium censes, nisi dira potentia ferri  
313 saeviat et multo maculentur tela cruore,  
314 non erit obscurus illato vulnere Caesar.  
315 Austria erit testis, totiens procul hoste fugato,  
316 Austria barbarico quondam vexata tumultu  
317 sulphureis qua fumat aquis fons pallidus, unde  
318 oppidulum dicunt facti de nomine Thermas.  
319 Hic hostes dare terga fugae cum clade coacti  
320 senserunt, Latii quam multa potentia regis  
321 afforet et quantae magno sub Caesare gentes.  
322 Sed quid ego haec autem ? Longe majora relinquo,  
323 inferiora sequor. Dicant de Caesare Belgae  
324 Belgarumque ferox dux Carolus, ille potentis  
325 Martis honos, sub quo veluti sub fulmine belli  
326 intremuit tellus pavidusque expalluit orbis.  
327 Post tamen insignes clades superataque passim  
328 oppida et Austriaco populatos milite campos  
329 candida Caesareis cessit victoria signis.  
330 Hiccine praeteream lugubri pectine casum,  
331 Maximiane, tuum ? Si nos in funere patris  
332 auscultas nostramque tibi sub pectora musam  
333 ire sinis, fas sit tristes perstringere fraudes  
334 Brugarum populi : si saeva pericula vitae  
335 adjuvat et miseros quondam meminisse labores.  
336 Sic rerum series praeconiaque alta parentis  
337 concita Castalio stimulant mihi pectora motu.  
338 Te pater insidiis et tristi carcere, Caesar,  
339 te pater eripuit ; non illum terruit aetas  
340 in senium vergens et multo debilis aevo,  
341 non iter oblongum saevaeque ferocia gentis  
342 pectora, uti cecinit Clario projectus in antro  
343 Cimbriacus, quo non ad sacra fluenta Meletis  
344 Aonios latices facundius hausit Homerus.  
345 I nunc et dubita praeponere Caesaris acta  
346 Scipiadis Paulisque et quos vel Graecia tollit  
347 Africaque immensis Romanaque fama triumphis  
348 et gens si qua viget rebus per saecula gestis !  
349 Si non terrifico mundum sibi Marte subegit  
350 Caesar et humano renuit spumare cruore,  
351 hoc fuit ingenium, non segnis inertia mentis,  
352 Principis haec pietas, non saevi inscitia belli,  
353 religio, non terror erat. Nam pectore virtus  
354 stabat et huic comites gravitas, patientia saevae  
355 sortis et humani contemptio summa negoti  
356 claraque magnarum solersque electio rerum.  
357 Adde quod in senium pridem volventibus annis  
358 jure togae melior : bella horrida, bella per orbem  
359 principe te saevire dedit populique potentis,  
360 Maximiane, tuo concussit Marte furores.  
361 Vidimus imperii cultos juga ferre Batavos

362 Helvetiosque tui et gaudentis crine Sicambros  
363 et quos Mopsa suis Rhenusque intercipit undis  
364 additur his Morinus, quo non semotius ullum  
365 caerulea Germano populum ferit aequore Tethys.  
366 Non procul hinc Gallus violento Circius aestu  
367 Iccia saxa quatit, statio qua tuta Monoeci  
368 suscipit Herculeo servatas numine cymbas.  
369 Hic et terrifico te Francia saeva furore  
370 expavit quotiens vexataque turbine belli,  
371 Rex invicte, tibi, roseis quom Sequana Pontum  
372 irrumpebat aquis, plenusque cadavere caeso  
373 gurgite multiplici pluviosum versus ad Austrum  
374 ipse suas gentis Rhodanus non sponte trahebat !  
375 At quis Pannonios violato jure tumultus  
376 nescit et antiquam titulis regalibus Albam  
377 Maximiane, tibi ferventi Marte subactam ?  
378 Et modo quom rigidas vertisses signa sub Alpes,  
379 quas strages, quae damna tulit, quae vulnera Francus  
380 jussus item orata tibi pendere pace tributum.  
381 Non, si mille meo resonent sub pectore voces  
382 et totidem ora feram Phoebeo mota furore,  
383 tanta canam numeris, ut non majora supersint  
384 facta tibi superetque meum tua gloria plectrum,  
385 quae tibi mille queat vates lassare canendo.  
386 Nec mihi nunc mens est, tua facta retexere chartis ;  
387 tempus erit quondam nobis (modo vita supersit  
388 otiaque et placidis mens non obscura Camenis),  
389 quum tua Pellaeos aequantia facta triumphos  
390 aggrediar graviore lyra. Nunc dicere dotes  
391 Caesaris et totum praeconia ferre per orbem  
392 carmine fert animus, tristi solatia casus  
393 parte futura tibi, senio qui fessus anhelus  
394 in te Summarum rejecit pondera rerum.  
395 Juppiter ingenti bellorum mole solutus  
396 sic natis pugnare dedit, sic vicit Iberos  
397 impiger Alcides nigrosque Lyaeus Eoos,  
398 sic Atlanta senem saxum exanimavit in atrum  
399 ales Abantiades praetendens ora Medusae.  
400 Ipse pater caelo securus pace sedebat  
401 prospiciens terras et eodem lumine pontum.  
402 Fas mihi prodigium gelidis quod vidimus oris  
403 in medium proferre chely, qua Caecius ingens  
404 Norica Pannoniis disjungit rura colonis ;  
405 quum modo sacrilego fallax Germania ferro,  
406 qua furit infidus temerata lege Boemus,  
407 ausa per Austriacos praedatum currere campos  
408 nostris praeda fuit captivaque corpora mille  
409 vidimus aereo replere cadavere ripas  
410 Danubii et passim violentas solvere poenas.  
411 Utque sub extremas undas descendit imago  
412 taetra virum et fundum pendentum perculit horror :  
413 ecce pater glauco praecinctus vellere pectus  
414 Ister et agresti redimitus harundine crinem  
415 caeruleum admirans rapido caput extulit amni.  
416 Post ubi crudelem scelerata ob crimina gentem  
417 supplicium solvisse videt, hoc Caesaris actum :

418 "O qui Martigenae veteri de gente Quirini  
 419 Caesar", ait, "clarae producto stemmate robur  
 420 nobilitatis habes, qui vincis luce sequenti  
 421 illustrasque genus proavis primusque priora  
 422 post mille ingentis revolutis orbibus annos  
 423 sceptras tenes Latii : tune haec labente senecta ?  
 424 Tune levas nostros diris praedonibus agros,  
 425 qui mea mactato spoliabant arva colono  
 426 compositique simul violabant foedera mundi ?  
 427 Pro quo si liceat veras expromere voces,  
 428 hoc tibi polliceor, nec me mea decipit ales :  
 429 quum bis signiferum renovatis cornibus orbem  
 430 Cynthia curet equis, membrorum mole soluta  
 431 candidus aeterni repetes pia sidera caeli,  
 432 qua post Erigonem spatium patet : en tibi tota  
 433 brachia collegit contracto Scorpius astro,  
 434 hic ubi justitiam discat de Caesare magnus  
 435 Juppiter et regere astriferos pacatius axes.  
 436 Tunc tibi turba deum sanctis pro moribus olim  
 437 praemia certatim referent meliusque videbis,  
 438 quid refert servare modum finemque tenere  
 439 et duce natura moliri rebus agendis  
 440 quicquid agis, patriae quantum est impendere vitam,  
 441 nec tibi, sed partim natis partimque propinquis,  
 442 denique te toto generatum credere mundo.  
 443 Noveris hic, lautas quid prodest spernere mensas,  
 444 quid fluvio sedare sitim, totamque senectam  
 445 omnino nescire merum, quid pellere tecto  
 446 simpliciter pluvias praeduraque frigora brumae ;  
 447 quid cultus odisse nurus nudataque membra  
 448 Romana vestire toga de more Quiritum,  
 449 quid Veneris cohibere vices, nisi conjuge natos  
 450 tollendi sit causa tibi, quid denique prodest,  
 451 quod surrepit iners nulla tibi parte voluptas.  
 452 Hic tibi mercedis pretium, quod factio per te  
 453 Pontificis gemini sedata est : ut foret unus  
 454 claviger antiqui referens fastigia Petri ;  
 455 quod Solymos dubiae per mille pericula vitae  
 456 viseris et Christi sacratam manibus urnam,  
 457 limina per centum quod religiosa vagaris,  
 458 nostratis fidei exemplum. Sic viribus illum  
 459 egregium corpus et majestate decorum  
 460 duxisti ad summam, Caesar, sine labe senectam.  
 461 Ergo conspicui venerabilis area caeli  
 462 undique contendit meritas tibi solvere grates :  
 463 hic pro sublatis ad concava sidera templis,  
 464 ille quod argento gemmisque et nobilis auro  
 465 ossa tegit solido gaudetque minora videri  
 466 astra sibi, quam quae corpus collegerit urna.  
 467 Nam tu divitias tales exponis in usus,  
 468 Caesar, ut imperium Romanaque jura tueri  
 469 primum rite queas ; posthac vel munere divos  
 470 afficis, horridula vel paupertate gravatos.  
 471 Sed tibi caelicolum qui primum assurgat honori,  
 472 Austriacae Leopoldus erit dux inclytus aulae :  
 473 ille tibi acceptum referet, numquamve negabit

474 promeritum quod se patrum veneranda potestas  
 475 sanxerit in divos arasque et sacra dicarit,  
 476 unde pius colitur praesensque in vota vocatur.  
 477 Post ubi siderea te sede locaverit, ambo  
 478 Parcarumque colos sortisque volubilis orbem  
 479 dispensate manu nato caroque nepoti,  
 480 alter ut imperii longum volventibus annis  
 481 sceptrata regat Latii felix, orbisque subacti  
 482 jam senio fessus concedat lora Philippo,  
 483 hic sibi jure datas mundi moderetur habenas  
 484 cum seniore senex ; numerosaque dona Sibyllae  
 485 et pater et natus, precor, aggrediantur arenas".  
 486 Sic fatus placidam sese demisit in undam  
 487 amnis : at illa vago circumstetit orbe rotata  
 488 in gyrum et facili jam libera vortice fluxit.  
 489 Caesaris hic finis. Quin tu jam pectora maesta  
 490 majestate domas ? Non haec sine numine caeli  
 491 eveniunt, finemque sibi quae viderit ortus  
 492 res quaecumque timet : pereunt noctesque diesque  
 493 astraque ad occasum nullo discrimine tendunt,  
 494 non mare, non tellus, non est immobilis aether  
 495 atque ubi nunc terra est, forsitan mare saeviet olim  
 496 Danubiusque celer violento gurgite curret  
 497 huc ubi nunc magnus juga porrigit Apenninus.  
 498 An non mortales communi prodimur ore ?  
 499 Mortalesque sumus ? Semel omnes una manet mors.  
 500 Non hic, quem gemimus, violenter deserit annos :  
 501 natura labente cadit plenamque senectam  
 502 absumpsit matura dies ; ceu poma suapte  
 503 sponte sub arboribus passim collapsa leguntur ;  
 504 nec secus aere cavo, madidum quum deficit olivum,  
 505 lumina paulatim languent tamque ipsa coruscat  
 506 flamma diu, quam bacca viget pariterque videmus  
 507 deficere exhausta dubiam cum Pallade lucem.  
 508 Sic Caesar fessus dudum languentibus annis  
 509 (namque bis octonos Pisae perfecerat orbem)  
 510 Parcarum non fregit opus, sed stamine functo  
 511 ad vacuum vitam supremis reddidit astris.  
 512 Adde quod immensum tranquilla pace per orbem  
 513 lapsus, ad aeternam remeavit pace quietem,  
 514 non erat ulterius vitae cur quaereret ergo,  
 515 praecipue cum jam fugiat quodcumque malorum  
 516 longa dies afferre potest sortisque protervae  
 517 impetus. At miseri dubio nos vivimus astro,  
 518 incerti quo fata trahant : an fulminis ictus  
 519 pendeat, an bello mors intempesta minetur.  
 520 Sunt quibus exitio furor est, hunc aequora sorbent,  
 521 hunc rapit ardenti funesta canicula morsu,  
 522 illum bruma rigens boreoque autumnus hiatu.  
 523 Exitus incertus populi, quae vita sequatur,  
 524 quid caelum fatale dabit. Num pectora mulces ?  
 525 An nil proficimus, nostra nec flecteris arte ?  
 526 Huc ades aetherea, Caesar, delapsus ab arce :  
 527 tu carum exora natum, tu lumina fletu  
 528 (pareat ille tibi) prohibe, noctesque per omnes  
 529 majestate gravi laetisque affatibus asta,



530 ne periisse putet, venturaque fata benigne  
531 prome palam nato dubiisque oracula rebus.

AD PERITISSIMUM CONSULTISSIMUMQUE IURIS DOCTOREM MAGNIFICUM VIRUM I.  
FUXMAG. MAXIMILLIANI ROMANORUM REGIS A SECRETIS  
C. PAULI AMALTHEI EPIGRAMMA

C\_16 v.1 Si ludo, Fuxmagge, tibi, qua fronte pudorem  
2 nostrum, quis verbis, qua ratione tegam,  
3 quod tam nostra diu siluit non rustica Clio  
4 et scio me veri criminis esse reum ?  
5 Si tamen admittis tenuis purgamina culpae :  
6 commoditas Musis non fuit ulla meis.  
7 Non laurus, undasve dei, non enthea vatis  
8 pectora turbidulis suscipit Ister aquis.  
9 Maecenas mihi nullus erat nec prodigus ore  
10 Pollio restituit arvula rapta mihi.  
11 Ergo qui poteram turbato pectore sortem  
12 et genus et mores commemorare tuos ?  
13 At cecini, dices, ad magni Caesaris urnam :  
14 sic defectus olor morte premente canit.  
15 Crede mihi, incultis sterilescunt vitibus uvae  
16 nec segetes reddit non bene cultus ager.

EPITAPHIUM

C\_17 v.1 Astra pius Caesar pacato ascendit ab orbe  
2 talis vita fuit, qualis et interitus.

AD VIRUM NOBILISSIMUM SAPIENTISSIMUMQUE D. IO. FUXMAG. MAGNI CAESARIS CONSILIARIUM  
C. PAULI AMALTHEI ODE

C\_18 v.1 Ecce jam montes nivibus liquescunt,  
2 glaeba jam putris zephyro movente  
3 solvitur, cunctis vigor et venustas  
4 rebus inesse  
5 cernitur ; merces parat inquietus  
6 litore et siccas machinis carinas  
7 nauta deducit celer et perosus  
8 otia currit,  
9 sive qua saevis Arar et Garumna  
10 defluunt undis Rhodanusque velox,  
11 sive qua Syrtis vada crimosae  
12 cogit arenae,  
13 sive qua Tigris patriaeque consors  
14 lambit Euphrates populos beatos.  
15 Rusticus fortes rigido juvencos  
16 jungit aratro,  
17 miles accepto sagulo atque vallo  
18 sarcinis lectis inimicus hostem  
19 fortis invadit fluidoque manant  
20 funera tabo.

21 Ergo quid Caesar, quid agat venusta  
 22 Caesaris proles, modulare Clio.  
 23 Ille secretos penitus meatus  
 24 intrat Olympi ;  
 25 stella quae nato faveat, quis ortus  
 26 aptior bello meditatur atque  
 27 mente praesenti meliora nectit  
 28 postera lapsis.  
 29 Caesar occulti bonus est aruspex,  
 30 non egens fibris ovium boumve,  
 31 sed nec apprensas regione caeli  
 32 praepete penna.  
 33 Distat hinc multum generosa proles  
 34 Caesaris cura studioque, et alta  
 35 calle diverso petit otiosi  
 36 regna Tonantis.  
 37 Hic Therapnaeos superat gemellos,  
 38 cessit Alcidesque feroxque Bacchus,  
 39 nec minus tetrae domitor Medusae  
 40 atque Chimaerae.  
 41 Ergo collectas lituo phalanges  
 42 ducere in Martem parat et rebelles  
 43 Pannonas aequo superare bello  
 44 alite dextro :  
 45 qualis in caelo superum cohortes  
 46 Thracius quondam deus ordinatim  
 47 laetus instruxit dedit et feroci  
 48 signa Typhoeo,  
 49 Phoebe (si recte memini) canoro  
 50 aere mutaras citharam nec arcu  
 51 sordidus tota penitus fugasti  
 52 mole Gigantas,  
 53 Jupiter summa jaculans ab arce  
 54 Pelion telo ruit atque Olympum.  
 55 Hei mihi haud fas est homini deorum  
 56 sceptras tenere !  
 57 Pannon infelix miseret tui me ;  
 58 non vides, quae te maneat ruina ?  
 59 Jure nec certo, nec adhuc probante  
 60 numine pugnas.  
 61 Antequam Maiae redeant Calendae,  
 62 undique accensam patriam videbis  
 63 Marte, Vulcano, fame, caede, luctu,  
 64 milite nostro.  
 65 Anne jam nosti dominum Quiritum,  
 66 quem graves aiunt domuisse Belgas,  
 67 nota num virtus Iacobi et artes  
 68 Christophoreae ?  
 69 Scimus aspersum caput atque manes  
 70 Mathiae invisos superis et Albam  
 71 esse sub magni ditione sceptri  
 72 Maximiani.  
 73 Ista te justis monuere Divi,  
 74 ut semel scires quid agas, quid ultra  
 75 proderis : solves meritas fluenti  
 76 sanguine poenas.

77 Nam deum semper pede negligenti  
 78 ira praecedit graviusque tanto  
 79 plectitur sons, quo mala longiori  
 80 distulit aevo.

EIUSDEM AD RICCARDUM POETAM ELEGANTISSIMUM

C\_19 v.1 Quam sibi Threicius devinxit Jasona vates,  
 2 venit ubi Aesonias aurea lana domos,  
 3 tam tibi divino debet pro carmine Caesar,  
 4 Riccarde, Ausoniae fama futura lyrae.  
 5 Ut qui sponte sua claro petit astra volatu,  
 6 carmine dicatur celsior ire tuo.

C. PAULI AMALTHEI TETRASTICHON AD M. ANTONIUM FRATREM

C\_20 v.1 Tot nova jam nostro venere volumina saeclo,  
 2 ut queat haec unus volvere nemo satis.  
 3 Quisquis iter faciet, veterum sibi, Marce, relicto  
 4 tramite de recta deviat ille via.

C. PAULI AMALTHEI CARMEN IN AUSTRIADEN RICCARDI BARTHOLINI PERUSINI  
 AD CAESAREM MAXIMILIANUM ROMANORUM IMPERATOREM

C\_21 v.1 Nostra nec immerito laetantur tempora, Caesar,  
 2 cum tot honestentur vatibus ingenuis,  
 3 ut, quoniam tantum bacchantur bella per orbem,  
 4 sint qui facta ducum, qui tua gesta comant.  
 5 Qui tamen hos inter divino concitus Aestro  
 6 nescio quid majus conderet Iliade  
 7 Ricardus fuerit, Trasimene natus ad undas,  
 8 qui canit heroo Norica bella pede.  
 9 Cui si quae praestas, servaveris otia, Caesar :  
 10 redduntur - dices- tempora Vergilii.

C. PAULI AMALTHEI POETAE LAUREATI EPITAPHIUM.  
 MARCUS ANTONIUS AMALTHEUS CONCINNAVIT

C\_22 v.1 Conditus hic ego sum decus ac nova gloria vatum,  
 2 Paulus Amaltheus, prima favilla domus.  
 3 Quem Nao progenuit, coluit sacer Ordo Minorum  
 4 nec minus immensi pagina sacra Dei.  
 5 Caesaris Austriaci dum carmine gesta reponit,  
 6 heu ! procul a patria mors violenta rapit.

AD C. PAULUM AMALTHEUM FRATREM

C\_23 v.1 Captos ludit amor, titubantes reddit Iacchus  
 2 praecipitat socios turpis amicitia :  
 3 perfidus efficitur, lucro qui gaudet avarus,  
 4 pauperie premitur ludere si quis amat.

5 His evitatis, medium quicumque tenebit,  
6 hic merito felix, Paule, vocandus erit.

AD C. PAULUM AMALTHEUM FRATREM

C\_24 v.1 Moriger hic equus est, quantum conspeximus ullum,  
2 currit, si moneam, meque jubente manet.  
3 Praeterea, incedit dum saxa per aspera, nobis  
4 non hic, Paule, minus, quam timet ipse sibi.  
5 Quanti, quaeso, putas sonipes emeretur amicus,  
6 cui domini vita est quam sua cara magis ?